



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt VII. Concordia inter Moronum & Archiepiscopum Pragensem.
Postulatio Lunensis apud Pontificem, vt leges ad Comitia Pontificia &
Purpuratorum Collegium reformanda, ferantur à Synodo. Responsa ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11718

1563.

C A P V T VII.

Concordia inter Moronum & Archiepiscopum Pragensem. Postulatio Lunensis apud Pontificem, ut leges ad Comitiam Pontificia & Purpuratorum Collegium reformanda, ferantur à Synodo. Responſa illi reddita Pontificis nomine à Legatis.

IN colloquio memorato inter Moronum & Pragensem, postquam ille præteritæ contentionis asperitatem lenijt, ut dictum est, quo sibi veterem Cæsaris benevolentiam conseruaret, sine qua Pontifici minister idoneus esse non poterat, conuenit cum Pragensi, ut de argumento discordiæ, hoc est, de suspendendo examine Decreti, ad reformandos Principes digesti, cum collegis colloqueretur. Et hi tandem conuenientes considerarunt, idem planè futurum amicitiam Cæsaris, ac Synodum abrumperè; cum is aquila quodammodo illa esset, sub cuius alis Synodus fouebatur. Præterquam quòd conatus euafisset irritus ob aduersum Lunensis animum, quem rescitum fuerat affirmasse, inspecturum se, ubi Regis nomine ea intermissio postularetur in Synodo, quisnam inter subditos Regis esset illi aduersaturus. Audiri, Lunensi quoque in eo Lusitanum obsecundare: cumque à Legatis ad consilium accitus esset Lotharingus secundum accepta mandata, ut is tamquam quintus Legatus in rerum communicatione haberetur, ille non modò eam dilationem comprobarat, sed adiecerat, Si Brentius hæresiarcha spatium petijisset ut audiretur, haud ipsi denegandum fuisse. Idcirco inter eos conuenit, ut Oratores Viennam cursorem mitterent, cuius reditus post octauum aut decimum diem incideret: ut curarent interim Legati expendi à Patribus dogmata, seu disciplinæ reparationem; & ubi intra illud spatium temporis responsum haud redderetur, darent operam, ut illi de reliquis emendationis generalis articulis disserere permitterentur, eâ tractatione sepositâ, donec responsio perueniret. Tabellarium Oratores confestim miserunt, & post rei gestæ narrationem Ferdinando significarunt; Sibi quidem ex animo videri opus esse, ut laici quoque Principes reformarentur. Simul etiam per eundem tabellarum de rei euentu Delfinum monuerunt, ut negotio coram opem ferret.

^a Litteræ
Legat. ad
Porrom. vlt.
August. 1563

Eiusmodi tunc molestiâ liberi Præfides, sententiam suam de alia re notabili, in postremis Borromæi litteris ^a contenta, Romam perscripserant. Lunensis vnà cum responſionibus scripto redditis ad

ad parata legum capita, coram etiam exposuerat, necesse esse ut in 1563.
 Concilio & Collegium Purpuratorum, & Pontificis Comitia re-
 formarentur. Id quoque fuerat ab eodem Casari significatum, à
 quo traxerat mandata ad suos ^b, ut utrumque promoverent. Postea ^b Memorata
 scripserat Lunensis ad Pontificem, testatus animum suum optime ^b Caesaris epi-
 paratum; sed hæc duo postulans, quæ vniuersè ab Oratoribus ex- ^b stola ad Oia-
 petita dicebat, & in reliquis vstus tormulis ad animi demissionem ^b tores 8. Au-
 amoremque compositis, prætermisso per silentium capite, tam ^b gusti 1563.
 ardentè antea à se quæsito, ut nimirum pro maiori nationum nume-
 ro decerneretur. Hanc epistolam Borromæus Legatis legendam mi-
 sit ^c; indicauitque quid Pontifex haberet in animo illi per ipsos re- ^c Litteræ
 spondere; sed simul eosdem consuluit, addens, fortasse præstola- ^c Borrom. ad
 turum Pontificem ipsorum sensus, antequam responsionem suam ^c Legatos 21.
 illis committeret. Hi verò ægrimoniâ pleni ob opposita à Lunensi, ^c Augusti
 ostenderunt, à se parui fieri tum quòd ille mitius scriberet de sen- ^c 1563.
 tentijs, nationum numero ponderandis, cum eos sensus voce re-
 peteret; tum quòd etiam affirmaret, in ea duo capita commune
 suffragium Oratorum conuenire, cum præter ipsum ne verbum
 quidem reliqui haberent. Existimare se opportunum, ut Pontifex,
 pro eo ac planè indicabat in animo sibi esse, litteras ad eum rescri-
 beret officiosas ac breues, ipsis iussis illi coram respondere suo no-
 mine in hanc sententiam: De Cardinalibus negotium Synodo à se
 iam commissum: sibi polliceri, eam nihil operæ omisuram; vbi id
 non succederet, se suo muneri haud defuturum: Pontificijs Comi-
 tijs fuisse iam consultum per diploma, vbi optimæ sanctiones ve-
 terum Synodorum reuocabantur, annorum decursu, itidem ac re-
 liqua humana, collapsæ. Id negotij non fuisse demandatum Syn-
 odo, propterea quòd nulla de eo peritia in Episcopis erat. Diplo-
 ma Casari plenè satisfecisse, cum ipse tantummodò posceret, ut
 artibus laicorum Principum in promouendo aut præpediendo ali-
 quo ex Cardinalibus iretur obuiam: posse id confici in emendatio-
 ne laicorum, cunctis vetitis, etiam Principibus, denuntiatione
 grauium pœnarum, ne in eiusmodi negotium sese admouerent,
 adeoque iudicio libertatiq; Cardinalium relinquerent eius ele-
 ctionem, ad quem diuino afflatu impellerentur. Hoc fuit Triden-
 tinorum Præsidum consilium, quibus Pontifex responsionem ^d Litteræ
 commisit per eosdem sensus, quos ipse conceperat, ac per litteras ^d Borrom. ad
 illis aperuerat ^d, antequam eorum epistolam acciperet; solùm ad- ^d Legatos 28.
 iecto, animaduertendum esse Lunensi, an prohibitio cum ana- ^d Augusti, & |
 themate, in quoscumque principes irrogato, ne Comitiorum Pon- ^d Legatorum
 tificis ^d ad Borrom.
^d 5. Septem-
 bris 1563.

Pars III.

N n n n

ae
 Crict.
 I

1563. tificis res tractarent, Hispano Regi expediret, qui tam magnam in ijs partem obtinebat. Diploma commendatum, ceteroqui tamquam perfectum, in eo solum vitiosum fuisse agnitum; idque quoniam Pontifex de utroque Rege rationem habuerat. Quod si placeret Lunensi, ut in Concilio aliquid adderetur diplomati, quod hoc vitium ab eo tolleretur, Pontifici haud moleste id futurum: sed eodem tempore Auila, percepto rei pondere, mentem Lunensis illuminavit. Quare ille responso Præsidum acquieuit, sibi que satisfactum affirmavit, cum eo Pontificis emolumento, ut repulsa loco gratiæ habita fuerit.

Si Satyricus ille impiè dixit, Deos interdum ex audiendo malignos esse; verè licet affirmare, Deum & homines beneficos esse negando.

C A P V T V I I I.

Consilium à Legatis susceptum, ut emendationis capita minuerentur. Quedam adiecta, petentè Lunensi, de primis instantijs, ad inducendam Mediolanum sacram Inquisitionem agitata. Turbæ hinc ortæ, sed sedatæ. Falsæ ratiocinationes Suavis de Decreto clandestinorum coniugiorum. Variæ Patrum sententiæ de Matrimonio.

A Nimadyertebant Legati, si Cæsaris mandata præstolarentur, incertum lentumque negotium diutius protractum iri. Quare quò præstituto die Sessionem celebrarent, duo excogitarunt; alterum, ut solum illum articulum ad futuram Sessionem transferrent; alterum, ut simul cum eo alios quoque transferrent. Per illud, tametsi Lotharingi consilio comprobatur, videbantur nimis apertè obsecundare, & quasi obtemperare voluntati Cæsaris. Præterquam quòd Episcopi, illius articuli avidissimi, fuissent veriti, ne, ut sæpe vsuuenit, dilatio in obliuionem voluntariam degeneraret. Idcirco alterum consilium & gratius & magis honorificum, & etiam facilius habitum est, quandoquidem argumentum destinatum crassior materia censebatur, quàm ut tota simul moleteretur. Statuerunt itaque Decreta solum ad viginti redigere, Patribus polliciti, Decretum de Principibus agitatum iri simul cum alijs grauissimis, quæ supererant.

Necesse autem erat, ut Episcopis hoc promisso animi releuarentur: ex eo enim quòd recenter acciderat, hi non mediocriter animis conciderant. Philippus Rex optauerat Mediolanensem ditionem